

— 54. *Saturejam* hanc forte ab aliquibus sub Calamintha traditam Tu proponas pulchra figura, ut rite dignoscatur, quae alias semper obscura manebit.

— 56. *Ocymum monachorum* figura habetur in Columnae phytobasano t. 17. Acinos Dioscoridis, *Ocymum Caryophyllatum Monachorum B. 3. p. 269.*

— 57. *Draba stellata*, folia omnia erant a vermibus consumta.

— 59. Notissima mihi videtur planta, nec novi quaeenam sit, si haberes fructum mox dicerem.

— 64. *Cheiranthus erysimoides* angustioribus foliis varietas, quae *Hesperis hispanica angustifolia luteo flore Barr. 402. n. 1000.*

72. *Geranium foetidum* Lobe. Ill. 139. Moris. hist. 2. p. 516. s. 5. t. 14. f. 27. *Geranium petraeum Magnol. monsp. 109.* cum figura . plantam siccam multoties habui Monspelio, semina aliquoties, sed mihi inde enatum *Geranium cicutarium*. *Geranium romanum* meum quod in horto habui videtur eadem planta cum foetido, licet non foeteat et licet triplo majus evadat, ideoque non potui pro distincta specie laudare foetidum.

75. *Ononis frutescens angustifolia non serrata, flore purpureo Barr. ic. 300.*

Hac aestate pulchre floruit in Horto *Drypis* et *Peltaria* e seminibus Tuis enatae, quae mihi summum oblectamentum peperere, nec has umquam inspexi sine honorifica Tui mentione.

Damnum Rei herbariae irreparabile fata praecocia Forskohlei mei intulere, periit ille praecedenti anno in Arabia felici, ubi quotidie vidit *Opobalsami* frutices, ubi ultra 100 novos pisces legit. Nonnullae novae plantae ex ejus seminibus mihi enatae sunt.

Insecta plurima nuper e Barbaria accepi et plantas capenses multas.

Vale et vive diu felix. Dabam e praedio meo 1764. d. 20. Augusti.